

rebus exigui momenti, sed & præcipuis  
 disciplinæ capitibus; Pragmaticos contra  
 hæc negligere & contra eum, qui Floren-  
 tinum exemplar citat, tanquam adversus  
*hereticum* conspirare. (7) Post bonas lite-  
 ras restitutas, alios ingenio & acumine  
 suo, alios veterum Codicum adiumento  
*ingentem erratorum numerum* detexisse, quæ  
 plagas & ulcera appellent, horumque  
 Chirurgorum numerum ita auctum esse,  
 ut, si aliquot adhuc annos in applicandis  
*emplastris* pergant, *Pandectarum corpus den-*  
*sus iis obiectum iri credibile sit, quam nullius*  
*unquam lue venerea affecti.* Ex centum vero  
 hujusmodi correctionibus vix quatuor  
 reperiri, de quibus hi docti viri consenti-  
 ant, quin potius fateantur ipsi, plerasque  
 niti *conjecturis* levi momento aut suspicione  
 innixis. Ex omnibus iis demum evenire,  
 quod pauci in hoc studiorum genere ex-  
 cellant, & plures, eo derelicto, se ad aliam  
 scientiam applicent, aut si hoc non liceat,  
 se ei, quoties possunt, suffurentur, ac tem-  
 pus in alio quovis studio lubentissime  
 consumant. Quin *abyssum* hujus discipline  
*tantam* esse, ut in eam incidens nemo se  
 expedire valeat, ut vel *unam de die horam*  
*Sacræ Scripturæ* impendat.

Cap. 16. responderetur ad objectiones: (1)  
 per-